1397. ij 25. Maji Ex Orig: Arch: Regni. 727.

Hedwigis Regina Poloniæ Sexaginta Mar: gross: Pragen: super Oppido Mossino et ejus pertinenciis, Moscziconi de Scaruszewo inscribit.

199

Hedwigis Dei gratia Regina Poloniæ et hæres Hungariæ. Significamus tenore præsentium quibus expedit universis præsentibus et futuris, præsentium Notitiam habituris. Quod consideratis fidelibus Serviciis nobis per Moscziczonem de Scarussewo Nostrum fidelem dilectum Studiosè exhibitis et in posterum exhibendis, volentes sibi harum intuitu gratum facere, et ad nostra Servitia propensius exhibenda reddere promptiorem, sibi et suis hæredibus et legittimis Successoribus in et super Oppido Nostro Mossina et ejus pertinenciis Sexaginta Marcas grossorum pragensium Numeri Polonicalis consueti, quadraginta Octo grossos in marcam quamlibet computando ad pecunias eidem Moscziconi per Serenissimum Principem dominum Wladislaum Regem Poloniæ nostrum Consortem carissimum in et super eodem Oppido, similiter pro suis Serviciis assignatas superaddimus gratiose et donamus. Ita quod idem Moscziez et sui successores Opi-

dum

dum predictum tenebunt, habebunt, uti-
fruentur, et possidebunt tamdiu, do-
nec sibi vel eisdem Successoribus
per nos vel nostros Successores præ-
fatæ sexaginta marcæ integre fue-
rint persolutæ. Harum quibus sigil-
lum est appensum nostrum testimo-
nio literarum. Datum Gneznæ die
Sancti Urbani Papæ, anno domini
Millesimo trecentesimo nonagesimo
septimo.

Ta Kopia przepisana z Ory-
ginału Pargaminowego Anni-
kilowanego, u którego Wisi
pieczęć na Zawiasce pargami-
nowey. Roku 1784. d. 1. Wrze-
snia.